



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore Creaturarvm Omnium. In tres præcipuos Tractatus
distributa. Quorum primus De Angelis

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

II. Vtrùm Angeli sint æterni, vel esse inceperint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)

hil est (inquit) melius rationali anima, nisi Deus. & idem reperit lib. 3. contr. Maxim. cap. 25. & videtur illum reprehendere quia dixerat, maiores esse Angelos Christo secundum formam hominis. Sic etiam dixit Bernard. lib. 5. de Considerat. cap. 3. Spiritus est Deus, sunt & Angeli, & hi suprate. Sed Deus natura, Angeli gratia superiores sunt.

10. Responsio.

Respondeo has, & similes locutiones pie exponendas esse, vel quoad gradum intellectualem, vel quoad immediatam habitudinem ad Deum vt ad vltimum finem, & vt ad legislatorem, & supremum Dominum, vel quoad gratia, & gloria, ac visionis beatæ capacitatem. Et primo quidem sensu videtur loqui Bernardus, & potest sumi ex Augustino, lib. 1. Retract. c. 16. In secundo vero, ac tertio sensu loquitur idem Augustinus in primo, ac secundo loco supra citatis. At vero in tertio, & quarto loco jam etiam citatis existimo non loqui de perfectione naturali precise spectata, sed de absoluta perfectione, quæ pensatis omnibus tam gratia, quam naturæ donis alicui conuenit, & sic verum est secundum absolutam comparationem, nihil esse melius anima rationali, nisi Deum. Dico autem absoluta comparatione, quia si ad singulas animas fiat comparatio, aliquid infra Deum esse poterit melius, quam aliqua anima, non tamen simpliciter, quia datur anima, quæ absolute omnes Angelos excedit, & sic etiam dicit ibidem Augustinus, naturam humanam in Christo esse perfectiorem angelicam. Alioqui idem Augustin. lib. 11. de Ciuit. c. 5. Angelica natura (dixit) omnia cetera, quæ Deus condidit, natura dignitate præcedit. Et lib. 1. Retract. cap. 26. recognoscens locum vltimum dicit q. 54. videtur locutionem corrigere, dicens: Vbi dixi: Quod omni anima melius, id Deum dicimus, magis dici debuit, omni creato spiritui melius.

CAPVT II.

Vtrum Angeli sint æterni, vel esse inceperint?

1. **H**uius puncti resolutio ad complementum quæstionis, an sint Angeli, pertinet et videtur, & ideo priusquam vterius, quid sit, inquiramus, vel explicemus, illam hoc loco expendere visum est. Duobus igitur modis intelligi potest, aliquid esse æternum, vno modo ab intrinseco, alio modo ex influxu alterius æterni. Inter quos duos modos inter alias hæc est differentia, quod res priori modo æternam à parte ante, quam post, seu tam respectu præteritæ, quam respectu futuræ durationis siue realis, ac veræ, siue possibili, seu imaginariæ æterna est. Quia cum per se, & non ab alio sit, non potest habere initium, cumq; à nullo pendeat, priuari esse non potest, vel finem durandi habere. Cur enim tale ens, quod à se, seu non ab alio esse dicitur, in tali puncto esse inceperit, potius quam antea? vel si aliquando non esset, quomodo inciperet habere esse, nisi ab alio ei daretur? Est ergo euident, id, quod sine alterius effectione aliquando habet esse, semper, ac necessario illud habuisse, quia non potuit habere, vnde de nouo pululauerit, sed ideo sit, quia ex intrinseca, & essentiali ratione habet, quod sit ens actuale. Et inde etiam fit euident, eadem necessitate duraturum in perpetuum, quia semper eandem habet existendi necessitatem, & quia nec se ipsum destruet, nec ab alio pendet, à quo destrui possit. At vero si qua res sit non ex se, sed ex beneficio alterius, illa licet supponatur esse æterna, esse poterit æterna à parte ante, seu comparata ad præteritam durationem, licet non sit perpetuo duratura: sicut etiam e contrario esse poterit in posterum æterna, licet ab æterno non fuerit, vel iuxta modum operandi causæ efficientis, & conferuantis, vel iuxta beneplacitum eius, si libere agat, vt re vera Suarez de Angelis.

Secundus.

operatur Deus, ex vtraque parte æterna esse poterit. Hic ergo præcipue agimus de duratione æterna à parte ante, seu in præteritum, de æternitate vero Angelorum in futurum m. c. 8. dicemus.

Primo ergo fit certum, Angelos non esse æternos ab intrinseco, seu essentialiter, neq; ex aliqua absoluta necessitate, ac per se. Hæc assertio non solum est de fide certissima, sed etiam euident, supponedo, quod iam ostendimus, Angelos esse in rerum natura. Et prior quidem pars facile probatur, quia non habent illud esse à se, sed ab aliqua efficiente causa, ergo non habent necessitatem essendi à se, ergo nec æternitatem. Consequentia sunt euidentes. Antecedens autem est de fide, quæ nos docet, Deum esse creatorem omnium visibilium, & intusibilium, quæ non sunt Deus, tales autem sunt Angeli, vt recte probat Athan. q. 1. ad Antioch. & Chryf. homil. de Ieum. post homilias in Genes. ex illo Pl. 148. Laudate Deum omnes Angeli, & infra: Ipse dixit, & facta sunt, ubi enim inter opera Dei numerantur, & ad Deum laudandum à Propheta inuitantur. Et simili modo Daniel. 3. postquam pueri dixerunt: Benedicite omnia opera Domini Domino, & c. addiderunt, Benedicite Angeli Domini Domino. Et ad Coloss. 1. de Christo ait Paulus, In ipso condita sunt vniuersa, siue throni, & c. Idemq; probat D. Gregor. l. 32. Moral. c. 9. ex illo Iob 4. Ecce Behemur quem fecit tecum. Ac deniq; inter fidei articulos ponitur Deum esse inuisibilem creatorem, vt in Conc. Nicæno habetur. Et in sequenti tractatu l. 1. c. 1. iterum dicemus. Ratione item ostendi potest ex alio principio tradito in Metaph. disp. 28. sect. 1. & disp. 29. sect. 1. 2. & 3. nimirum ens à se non posse esse nisi vnum tantum: ex hoc enim principio esse inter inferur, quicquid est in rebus distinctum ab illo vno ente, quod ex se habet esse, non posse existere, nisi per efficientiam eius, vt in eadem Metaph. disp. 20. deduximus, & specialiter de Angelis in disp. 29. sect. 2. à n. 29. ergo Angeli ex se non sunt æterni.

2. Conclusio bipartita.

Probatur primapars.

Responderi posset, etiam si ex se non habeant esse, posse illud habere necessario, eo quod necessario à sua causa emanant, atq; hoc modo posse habere necessitatem durationis, ac subinde æternitatem. Sed hæc euasio (vt in eisdem locis Metaphysice notatum est) facile refellitur, simulq; probatur altera pars assertio nis; quia hæc absoluta necessitas est impossibilis. Quoniam nec ex natura, & conditione ipsius causæ effectricis Angelorum, nec ex natura ipsorum Angelorum oriri potest, & ideo nulla ratione esse potest. Prior pars antecedetis probatur, quia repugnat Deo aliquid agere extra se ex necessitate naturæ, tū quia intellectualis est in summa perfectione, ac proinde maxime liber, tum etiam quia nulla re extra se indiget, & ideo nihil extra se ita amat, vt necessario illud esse, aut facere velit, tum etiam quia cū sit omnipotens, & infinitæ efficacitatis, nihil determinatum agere posset, nisi per liberam voluntatem id determinaret. Nam si ex necessitate nature ageret, cur potius hos Angelos, quam alios possibiles, vel cur tot potius, quam plures creasset? Vnde facile demonstratur pars altera, scilicet, huiusmodi necessitatem non posse ex peculiari conditione angelicæ naturæ provenire: tum quia cum sit finitæ bonitatis, & non sit finis Dei, nec illi aliquid conferat, non potest voluntatem eius ad se amandum, vel efficiendum ex necessitate determinare, tum etiam quia cum infiniti Angeli possibiles sint, cur magis illi, qui facti sunt, hæc in Deum necessitatem inuexissent, quam infiniti alij, qui facti non sunt? Est ergo euident non habere Angelos æternitatem non solum vt proprie dicit durationem per se necessariam, & independentem ab alio, sed etiam vt dicere potest durationem quocunque titulo absolute necessariam.

3.

Probatur 2. pars.

Secundo dicendum est, Angelos de facto non esse æternos à parte ante, seu non fuisse ex æternitate creatos. Hanc assertionem sola ratio naturalis assequi non potest saltem necessaria ratione, quia non potest

4. Conclusio. De fide Angelis non

B

certa

*Just ex a-
ternitate
creati.*

certa ratione ostendi, esse impossibile creationem æternam ex libera Dei voluntate, vt in *Metaph. disp. 20. sect. 6.* dixi. Quod si aliqua est possibilis, maxime Angelorum, qui sunt inter res creatas maxime indiuisibiles, ac permanentes, quas duas conditiones æternitas postulare potest. Vnde eorum duratio intrinseca proxime ad æternitatem accedit, & eum appellatur, vt Theologi docent, & in *Metaph. disp. 50. sect. 5. & 6.* dictum est, & tradit D. Thomas cum expolitoribus in *1. p. q. 10.* Non potest ergo assertio ratione naturali demonstrari, licet si aderi aliquo modo possit, vt infra dicam. Est nihilominus conclusio certa in Theologia, in illa enim omnes Theologi conueniunt, vt paulo post videbimus. Item Patres tam qui dicunt, Angelos incepisse cum hoc mundo corporeo, quam qui antea existisse putarunt, omnes in hoc conueniunt, quod Angeli ex æternitate non fuerunt.

5. Probatur.

Et probari potest primo ex Scriptura Proverb. 8. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio. vbi aperte dicitur, Deum, diuinamque sapientiam existisse, antequam aliquid crearet, & consequenter etiam ante Angelos: nam illi etiam sunt aliquid factum. Nec refert, quod Septuaginta loco illorum verborum transtulerint, ad opera sua (qua lectione multi ex antiquis Patribus videntur), tum quia vulgata lectio sustinenda est, & ad probationem catholicam sufficit. Tum etiam quia illa lectio possidet me ad opera sua, per aliam declaratur. Possidebat enim Deus sapientiam suam ad opera, etiam quando nihil extra se operabatur, sicut dicitur quis habere scientiam ad docendum etiam quando non docet. Tum præerea, quia Ecclesia catholica sententiam illam sub illis verbis publice decantat, & recipit, veramque sententiam continere credit. Tum denique quod similia fere sunt verba eiusdem sapientia Ecclesiast. 24. Ego ex ore Altissimi productus primogenita ante omnem creaturam. Nam perinde dictum est, ante omnem creaturam, ac, antequam quicquam faceret. Præcessit ergo Deus, suaque sapientia ex æternitate omnem creaturam, ac subinde etiam Angelos, non sunt ergo æterni.

6. Confirmatio.

Et ideo Paulus ad Heb. 12. singulariter de Christo dixit. Heri, & hodie, ipse est in secula, tanquam illi sit proprium semper esse, quod Angelis non conuenit, vt Ambros. l. 5. de Fide ponderauit. Quocirca cum Christus Ioan. 17. dicit, se habuisse claritatem apud Patrem priusquam mundus fieret, & cum Paulus ad Ephe. 1. dicit: Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, nomine mundi Angeli comprehenduntur: nam ad vniuersi constitutionem, & complementum pertinent. Propter quod in Concilio Lateran. sub Innocentio III. cap. Firmiter, dicitur, quod vnus solus verus Deus est æternus, Pater, scilicet, Filius, & Spiritus sanctus, qui coæterni sunt, vel, non tres æterni, sed vnus æternus, sicut in symbolo Athanasii dixit. Nec potest exponi, quod solus sit æternus propria æternitate independentis ab omni causa, sed absolute quod solus perpetuo extiterit. Nam inde subinfert, hunc Deum æternum sua omnipotentis virtute in principio temporis viri anque de nihilo condidisse creaturam: vnde assertio posita tanquam de fide certa tenenda est.

7. Probatur a priori & ex congruentis.

Ratio vero a priori est libera voluntas Dei nobis sufficienter reuelata. Congruentia vero reddi potest, vel quia, vt dei excellentia, & eminentia super omnem creaturam, & quam libere se ad extra comunicet, euidentius manifestaretur, conueniens fuit etiam Angelorum productionem non esse æternam, sed hunc infinitatis modum productionibus ad intra referuari. Vel secundo, quia omnis creatura, etiam angelica, mutabilis est secundum operationem, & ideo productio æterna non est naturæ ipsius satis consentanea. Nam res ab æterno producta in ea dispositione, in qua producitur, per infinitam quandam durationem necessario est permanens, vt in Physica, & Metaphysica ostenditur. Quoniam quicquid

ab æterno fit, per æternitatem aliquam, atque adeo per infinitam aliquam durationem permanere necesse est, siue illud, quod producitur, per se primo producat, sicut substantia, siue cum illa simul in ipsa æternitate producat, quia si aliquid tale tantum per finitam durationem permaneret, eo ipso haberet suam durationis initium, ac proinde æternum non esset. Sicut etiam è contrario, si aliquis Angelus crearetur ab æterno sine gratia, necessario sine illa maneret per infinitam durationem, & solum in initio alicuius temporis, vel creatæ durationis posset illam recipere. Si ergo Angelus ab æterno crearetur, actum simul eliciens, in illo per infinitam durationem necessario permaneret: vel si absque actu crearetur, per æternitatem sine actu maneret. Hic autem modus immobilitatis est præter naturam Angeli, & ideo creati sine initio, & nouitate essendi, non est consentanea naturæ creatæ etiam angelicæ, etiam si de potentia absoluta fieri non repugnet.

Contra hanc autem veritatem solum video posse obijci verba Basilij hom. 1. Exæm. circa illa verba: In principio creauit, &c. dicentis, credi posse aliquid ante huius mundi constitutionem fuisse, quod explicans, subdit: Erat factus quidam mundi generatione superior abstractus illis a concrezione materia potentijs mundo præstantioribus pro decoro accommodatus: temporis etiam condicione anterior, æternus nimirum, ac perpes. In quibus verbis hæc sola vitia aliquid obsecutitatis habent, nam in prioribus solum dicit Basilij, Angelos, quos potentias à materia abstractas vocat, habuisse statum quandam superiorem, anteriorem tempore, quem habere potuerunt, etiam si ab æterno non fuerint, an verita fuerint, statim videbimus. Quod vero addit, statum illum fuisse æternum, non de æternitate a parte ante, sed a parte post intelligendum puto. Ponderoq; non dixisse tantum fuisse ante tempus, sed dixisse, anteriorem temporis condicione fuisse, quasi diceret, statum spiritualium creaturarum ideo duratione tempus hoc materiale, & corporale præcessisse, quia etiam in condicione naturali illi superior est. Dixerat enim paulo antea: Quæ ex tempore ceperunt, nec ita esse profors eadem, quin aliquando defutura sint, & consummanda. Nunc vero ait, Angelos non cepisse ex tempore, vtq; celestij, & corporei, sed ante illud fuisse, quia non sunt defectibiles, sicut res corporeæ, sed æterni, ac perpetui, quem sensum addendo illam vocem perpes, satis explicauit.

CAPVT III.

Quando Angeli creati fuerint.

Hæc quaestio ad præcedentis complementum necessaria est, & ideo visa est huic loco accommodata, quantum ad D. Tho. in q. 61. versus materia sit tractetur. In puncto autem proposito de initio creationis Angelorum vnus est indubitatum apud omnes, nimirum, mundum hunc corporeum nunquam nec per momentum sine Angelis fuisse, ac subinde celos non fuisse ante Angelos creatos, seu Angelos non fuisse post corpora factos. In hoc enim omnes Theologi, & Patres allegandi conueniunt, & que afferunt, à fortiori id conuenient. Nunquam sufficiunt verba Job 40. vbi Behemoth, id est, Daemon, seu Lucifer initium viarum Dei dicitur, quia vel ipse ante omnes, vel saltem nullus ante ipsum creatus est. Ita enim de initio creationis communiter ille locus intelligitur, & optime de temporis, seu durationis initio exponitur à D. Thoma ibi, & alijs, vel saltem etiam de initio dignitatis intelligatur, ibi consequenter etiam creationis, seu existendi initium includitur. Contra hanc vero assertionem citari possunt Gennad. & Rupert. qui significat: Angelos saltem post aliqua corpora fuisse creatos, sed illorum sententiam in discussione capitis exponam, & refutabo. Citatur etiam Aca-
tius

1. Certum est mundum corporeum non præcipisse Angelos.